

tur passiones et proprietates habent et falsa illa sunt:<sup>32</sup> *Si sane impossibilium est, utraque parte nullam habente gravitatem ambo habere gravitatem.* Falsum inquam hoc est et suae philosophiae maxime contrarium. In qua elementa ipsa gravitatem et levitatem habent  
5 et corpora sunt: et composita ex materia et forma, at materia, at forma partes utraeque componentes, quam nam gravitatem aut levitatem habent? Ubi nos hanc rem docuit?

Elementa corpora sunt ex materia et forma constantia ac ubi  
nos docuit materiam esse corpus? Formam esse corpus? Si haec  
10 corpora non sunt, sed incorporeae utraeque et elementa ex eis  
conficiuntur, corpora sunt, ex incorporeis ergo corpora efficiuntur?  
Ex non gravibus, ex non levibus, gravia et levia?

Falsum ergo est, hoc esse impossibilium eadem esset ratio, si  
puncta Plato et lineas superficierum principia faceret, (quod nos  
15 negamus prorsus eum facere), gravia et levia fieri Aristotelica  
doctrina et exemplo fierent nulla impossibilitate.

Sed et illud non multo acutiore ingenio autem acuto iudicio obiectum est:<sup>33</sup> *Praeterea si multitudine graviora corpora superficierum, sicut in Timaeo determinatum est.* Namque primo quidem  
20 haec οὐ σαφῶς εἰδηκεν, duplarem enim ac ambiguum habent sensum, possunt enim commode accipi, ut significant multitudine superficierum graviora corpora esse, atque etiam multitudine corpora esse graviora quam superficies, itaque in idem vitium cadit manifeste, quod in Platone accusaverat, secundo falsa quoque sunt.

Neutrum enim horum determinavit in Timaeo Plato. Habet ille quidem haec verba de igne agens:<sup>34</sup> *Praeterea levissimum ex paucissimis constitutus iisdem partibus.* Partes autem has non quavis superficies intelligit, sed bases tantum. Sic enim paulo ante

<sup>32</sup> εἰ δὴ τῶν ἀδυνάτων ἐστὶ ἔκατέρου μέρους μηδὲν ἔχοντος βάρος, τὰ ἄμφω ἔχειν βάρος. [ARIST. Cael. 299a.25 – 26]

<sup>33</sup> ἔτι εἰ μὲν πλήθει βαρύτερα τὰ σώματα τῶν ἐπιπέδων, ὥσπερ ἐν τῷ Τίμαιῳ διώρισται. [ARIST. Cael. 299b.31 – 300a.1]

<sup>34</sup> ἔτι τε [δ'] ἐλαφρότατον, ἐξ ὀλιγίστων συνεστὸς τῶν αὐτῶν μερῶν. [PLATO, Ti. 56.b.1 – 2]